



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Hebdomas Patientiæ Sive Methodus Facilis Totam Septimanam Inter Omnes Fortunæ, Ac Vitæ, Coeterosque Casus Humanos In Sancta Quiete, Pace, Et Patientia Transigendi Ex Consideratione, Imitatione Et ...**

**Dietmer, Georg**

**Moguntiaë, 1674**

Caput II. In honorem dolorosæ virginis patienter ferenda paupertas, &  
amissio bonorum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46586](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46586)

dolores. *Eia Mater illud agas, Crucifixi si-  
ge plagas, cordi meo valide.* Plura loquen-  
tem Parthenophile, tua me vetat præ-  
sentia, cum Jacopono cellam subire li-  
bet, quo affectui ulteriorique medita-  
tioni indulgere securius liceat.

## CAPUT II.

*In honorem dolorosæ virginis patienter ferenda  
paupertas, & amissio bonorum.*

**Q**uanta acerbitas in paupertate,  
& amissione, & temporalium bonorum  
penuria reperiatur, eorum præsertim  
respectu, qui vel honestiore loco nati,  
infelici quodam infortunio, tristique  
fato ad eas incidas redacti; vel certe  
ingenio, indoleque nobiles iis tamen  
mediis, quibus animum liberalibus, ac  
honestioribus disciplinis excolant, sunt  
destituti; profecto nisi ipse aliquando  
mi Parthenophile inopia laboraveris,  
non facile poteris in animum inducere.  
Rem tamen ea non inepto expressit em-  
blemate doctissimus Alciatus 121. depin-

git is juvenem cui manu dexterâ pondus  
 derosus dependet lapis, sinistra vero  
 ejus lævissimæ quædam alæ affixæ cer-  
 nuntur, quibus alteram hanc corporis  
 partem in altum elevare conatur, nisi  
 onus lapideum in terra commorari ad-  
 geret, congruit eidem adscripta epigra-  
 phe :

*Ingenio poteram superas volitare per auras,*

*Me nisi paupertas invida deprimeret.*

Advertis, nisi fallor, acumen Partenophi.  
 Neque minus bene de hoc paupertatis,  
 inopiæque malo posteris reliquit Juve-  
 nalis Satyr. 2.

*Haud facile emergunt quorum virtutibus obstac-*

*Res angustæ domi.*

Et Architas Philosophus : Sapientem uni-  
 cum, inquit, habere incommodum paupertatem.  
 Comicus in *Adelph.* cum exclamat : pau-  
 pertatem esse onus inscium, valde grave, us-  
 que adeo, ut etiam nobilem reddat ignobilem.  
 Imo si communi proverbio fidem habe-  
 mus : pauperi ne parentes quidem sunt amici.  
 Ex quo etiam illud contingere cōsuevit,  
 ut nisi moderato animo, modesteque  
 rerum suarum penuriam, vel amissio-  
 nem, pauper perferat, in omne genus de-  
 licti facile prolabatur, nam propter ino-  
 piam

*opiam multi deliquerunt,* ait *Eccles. 27.* Paupertas impatienter perlata impellit colum in laqueum, & desperationem, animū in proditiones, & latrocinia, deceptiones, furta & rapinas, virgineos artus cogit in lupanaria, & quod pejus est, compluribus constat experimentis, fidem subscriptam sanguine proprio, dæmoni exhibitam, ut divitiis potirentur; nec citius tentare Christum stygius lavernio ausus fuit, quam posteaquam eum fame, & cibi inopia confictari adverteret. *Paupertas inimica bonis, scelerumque ministra, labitur in vetitum.* Hocce nihilominus malum, si fors te gravius deprehendit Parthenoph. ut patienti generosoque animo feras, idque in dolorosissimæ Matris tuæ honorem, suadet & ipsius Virginis pauperrimæ exemplum, & amor pietasque ejusdem Matris in eos, qui ea incommoditate pressi, eam æquo, fortique animo perferre conati fuerunt, quos Virgo dolorosa sinu suæ misericordiæ complexa suavissime non raro excepit, & ab ea fortunæ injuria sublevavit. Neque ego quidem

existimo opus esse, ut ad hanc heroici pectoris palæstram subeundam te existem pluribus pauperrimi Salvatoris tui vestigia legenda proponere, eam ipse à præsepio sibi comitem, conjunctissimamque sociam adjunxit, eadem cum ipso crevit in exilio, cum eodem inter duros præterea labores adolevit, in virili ætate nunquam destituit, habebant enim volucres cœli nidos, & vulpes foveas, ipse vero ubi caput reclinaret, non inveni; inclinavit tamen inter vepres, cum Patri æterno sanctissimum spiritum reddidit; pendet, cheu, nudus pauperrimus Jesus in cruce, & supremo in agone constitutus vel unicum frigidæ haustulum ingemit potius, quam ingeminet, nec tamen eo frui conceditur. Hunc filium suum, ut & in cæteris miseris animose subsecuta afflictissima Domina nostra, vel paupere diversorio prægnans, & puerperio proxima excluditur, & in stabulum omnibus aëris injuriis pervium conjicitur. Offerebant thesauros magi; sed Virgo iis muneribus in alios erogatis pauperes, egena pro-  
 pera-

perabat in exilium; sic enim ipsamet ait  
S. Brigittæ l. 1. c. 10. *Omnia quæ habere  
potui dedi indigentibus, nihilque nisi tenuem  
victum, & vestitum reservavi. Et lib. 7. c. 25.  
ait: de divitiis Ego & Joseph nihil reservavi-  
mus nobis, nisi necessaria vitæ, ad honorem  
DEI, reliqua dimisimus propter honorem Dei.*  
Ibat itaque undique & undique doloris  
gladio perfossa, quo toto tempore exi-  
lij duro labore, nisi fors etiam gratuitis  
aliorum eleemosynis, inopiam suam to-  
leravit, & sustentavit. Redux in pa-  
tiam, ut taceam, quod triduo omne, &  
summum suum bonum amisisset; di-  
gressa tamen inde in Nazaret, pauperis  
conjugis consortio, pauperrimum ale-  
bat filium, inops tota vita, neque sub  
amoroso, dolorosoque crucis stipite  
constituta, aliquid à moriente filio pig-  
noris, vel hereditatis loco accepit, nisi  
pauperem Joannem filium, hoc est  
(consolare mi pauper Parthenophile)  
teipsum, quin ergo & tu generoso ausu  
Matrem pauperem, pauper & ipse li-  
benter imitaris? exere animum: & si-  
cut illa se prodebat Christi Matrem quæ in

*tanta paupertate letabatur ut habet Virgi-*  
*neus scriptor Novarinus in Matth. n. 39.*  
 Sic & tu te pro das tantæ Matris filium  
 non degenerem, & pectore forti, paupe-  
 riem & duros conando ferre labores. Ec-  
 ce Mater tua; ecce sua inopia te pau-  
 perem erigit, miseriis pressum, & omni-  
 bus indigentem refovet, ac recreat. Ve-  
 re pauperum Mater, & afflictorum so-  
 latium Maria! Unde iis te verbis modo  
 compello Parthenoph. quibus utitur S.  
 Bonavent. in spec. led. 4. *Vide paupertatis*  
*Mariæ magnitudinem, & quicumque pauper*  
*est, accipiat consolationem; quicumque pauper*  
*est, multum consolari potest de paupertate*  
*Mariæ, & de paupere Christo.* Tu vero te  
 ipsum anima, excitaque ad generose fe-  
 rendâ hancce miseriam, & si voles ver-  
 bis Uriæ 2. Reg. 12. *Arca Dei, (Maria)*  
*& Israël & Juda (tot Sancti & electi Dei)*  
*habitant in papilionibus, & Dominus meus*  
*Joab (JE' US) & servi Domini mei (Apo-*  
*stoli) super faciem terræ manent, & ego in-*  
*grediar domum meam, & comedam, & bibam*  
*Ec.* Non faciam rem hanc; sed pauper  
 pauperes Jesum, & Mariam consequar.  
 Aderit

Aderit tibi mihi crede Mater afflicto-  
rum non interno modo, sed corporali  
etiam solatio; quod experti sæpe nu-  
mero sancti, in iis inopiæ angustiis ad  
Dominam recurrentes. Seraphicus Do-  
ctor in psalt. Recordare Domina paupe-  
rum, & miserorum, & sustenta eos ope refri-  
gerii tui sancti. Doctor vero mellifluus  
serm. 4. super Salve sic scribit: Omnino  
necessario vultum quidem tuum O Virgo Dei  
genitrix deprecabuntur omnes divites plebis,  
multo magis egenus, & pauper (Parthenophi-  
lus) opprobrium hominum, & abjectio plebis,  
tibi dixit cor meum vultum tuum Domina re-  
quiram. Hoc illa vultu medetur inopiæ  
nostræ; his illa oculis misericordia suæ  
te aspiciet, ut primum eam de ne-  
cessitate tua interpellaveris. Sicut ubi-  
cunque fuerit corpus, inquit, Rich. à S. Vid.  
congregantur & aquilæ, ita ubicunque fuerit  
miseria, tua & currit & succurrit misericordia,  
adeo pietate tua replentur ubera, ut tacta ali-  
cujus miseriæ notitia, lac fundant misericordiæ,  
nec potes miseriæ scire, & non subvenire. In-  
vitabatur illa aliquando ad nuptias,  
Jois 2. & prima videt deesse vinum; ne-



mo illam in advocatam advocârat; nemo quidquam postulaverat, ad pietatis tamen officia, sua ipsius urgetur pietate; *si hoc*, inquit Bernardus, *fecit invocata, quid faciet invocata?* possem innumeras prope afferre historias, quibus in penuria rerum domesticarum constitutis demonstrarem, misericordiæ reginam auxiliares manus exhibuisse; sed quod eæ passim prostent, ad unam alteramve contraham. S. Hermannus, quem cognomento à Virgine Deipara indito, Josephum appellant, etiamnum parvulus, cum effigiato puero Jesu à Virginis collo pendentem in imagine quodam templo exposita, panem, fructus, & reliqua, quæ à paupere Matre suppeditabantur, sæpius communicasset; delectatus ea innocentia Jesus, sæpius altari descendens, cum eodem comedit. Id ubi miraculum Hermannus Mater ex eodem intellexit: age inquit fili, quia natum Virginis sæpius convivam habuisti; precare Matrem ejus, ut & ipsa nobis esumentibus, & ope nunc omni destitutis epulum parat, victam-

viatumque suppeditet. Retulit ad Vir-  
ginem Deiparam conceptum verborum  
sensum matris suæ Hermannus, mox-  
que legationis suæ precium, ita volente  
Virgine, retulit sub lare domestico late-  
re aurum reconditum; quod sic in-  
dicante Dominâ repertum aurum, &  
Matri & filio ea, quibus indigebant, ab-  
unde subministravit.

Libet huic narrationi breviter annec-  
tere ex Anno Mariano P. Pauli de Bar-  
ry 29. *Januarij* alteram de S. Petro Tho-  
ma ex sacro ordine Carmelitarum ad  
Patriarchatum Constantinopolitanum  
elevato. Hic ut erat Virgini Matri ad-  
dictissimus, refugium apud eandem in  
omni necessitate quærebat. Ergo ino-  
pia, penuriaque pressus, tristis ince-  
dens, ac forte amantissimam suam Ma-  
trem in vota invocans, eandem miro  
gaudio habet conspicuam, se seque his-  
ce verbis alloquentem audit: *Petre no-  
li timere, nihil tibi deerit, opem meam implo-  
rantis vota semper audiam.* Postridie finito  
sacrificio, gratiis que actis, mercator ei se-  
sistit peccata expiaturus, cujus confes-

sionem cum excepisset, mercator de-  
 cem scutatos aureos eidem dedit; ex  
 quo tempore nunquam temporalium  
 rerum cura angebatur. Nunc ego ad  
 te conversus Parthenophile, ea tibi ver-  
 ba accino, quæ Richardus à S. Lauren-  
 tio lib. 2. de laudibus Virg. part. 1. profert:  
*serviendum MARIÆ quia paslum submini-  
 strat famelicis, & potum sitientibus.* Ex quo  
 colligis insuper, unâ, alterave duntaxat  
 syllabâ immutatâ commode dici posse  
 de Matre, quod alias de filio psal. 54.  
 dicitur: *Jacta super Dominam curam tuam,  
 & ipsa te evutriet.* Ipsa enim esurientes  
 replet bonis, & dat escam esurientibus.  
 Cogitat de Te, inops Parthenophile, tu  
 cogitatum tuum in Virginem jacta, ja-  
 cta spem, onera omnia, omnem sarcina-  
 nam. *Non facile jactatur, qui cogitatum in  
 Dei Matrem jactat.* ait devotissimus um-  
 bræ Virgineæ encomiastes.